

05

A

1085





127

Disputatio Metaphysica
De
NECESSARIO
ET CONTINGENTE.

Quam
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
In florentissima & Celeberrima Academia
Wittebergensi,

P R Æ S I D E,
Dn. M. MARTINO CASELIO,
Serenifs. Elect. Saxon. Alumno, & Amplifs. Fa-
cultatis Philosophicæ Adjuncto, Præceptore & Fautore suo
plurimum honorando,

Publicæ dissertationi subjicit
SAMUEL RÜLINGIUS, Dresdensis,
Elect. Saxon. Alumnus.

In Auditorio Minori, ad diem 13. Aprilis
hor. à 7. Matut.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

Anno MDCXXXVI.






05 A 1085

Handwritten text, possibly a date or reference number, appearing as '1880' or similar.





Σὺν Θεῷ.

DISPUTATIO METAPHYSICA.

De

Necessario & Contingente.

Membrum Primum.

PROPONENS THESES.

§. I.

O B insignem, quam necessitatis & Contingentiæ Terminatque distinctiones in Sacrosanctâ Theologia, & aliis disciplinis atque Facultatibus habent, Utilitatem, de Necessario & Contingente publicam, Deo adjuvante, dissertationem instituere animum induximus. *Necessitatis doctrina utilis.*

2. Formalis ratio necessitatis invariabilitas est, secundum quam aliquid se aliter habere nequit. Per hanc enim ultimâ concipitur, & à contingentiâ, ac omnibus aliis entis affectionibus à priori distinguitur, quod ipse Philosophus lib. 8. Meth. cap. 8. indicat, quando ait: *quod non contingit aliter se habere, necesse dicimus ita se habere.* *Formalis ratio.*

3. Distingui solet communissimè in necessitatem complexam, quæ invenitur in Orationibus; & incomplexam, quæ convenit terminis simplicibus. *Necessarium est vel*

4. Necessarium ergò complexum est oratio necessaria, vel necessariò vera, & sub se comprehendit discursus necessarios, qui colligunt ex necessariis præmissis necessariam conclusionem; ut & propositiones necessariò veras, quæ si affirmantes sunt, tres necessitatis gradus admittunt, quorum primus vo-

A 2 carus



catur καὶ πάντως, secundus καὶ αὐτὸ, & tertius καὶ ὅλα, de quibus in Logicis Doctores fusiùs agere solent, quando doctrinam de demonstratione pertractant, ubi simul monent, quòd posterior gradus semper priorem præsupponat.

Vel Incom-
plexum.

Quod di-
stinguitur.

I. Necessa-
riū ad esse.

Ad bene
esse.

Violentum
in essendo.

5. Necessarii incomplexi distinctiones alii aliter recensent. Ipse Philosophus loco superius allegato, quatuor acceptiones necessarii affert. Nam 1. necessarium dicitur, sine quo non contingit vivere, *ut respiratio in animali.* 2. Sine quo bonum non contingit aut esse aut fieri, sive aliquid mali repellere, aut eo privari; *quo sensu dicitur, quòd potio medica sit necessaria homini, ut ne agrotet.* 3. Quod est violentum; & 4. quod non contingit aliter se habere.

6. Alii significationes necessarii juxta tritos versiculos recensere solent:

Utile, perpetuum, sustentans & violentum:

Quatuor expresse vox denotat ista necesse.

II. Utile.

Perpetuum.

Sustentans.

Violentum.

Sic ergò necessarium aliquid dicitur: 1. quod alteri conducit ad finem obtinendum. *Sic libri sunt necessarii studioso, arma militi, fides Christiano.* 2. Quod est perpetuum, *ut Deus, qui semper existit; & propositiones necessariae, omnis veritas est infallibilis,* *ut: Homo est animal, omne materiatum est quantum.* 3. Quod conservat aliud, *quo sensu victus homini necessarius est.* Et 4. quod fit per vim externam; *quo sensu mortem aliam naturalem, aliam violentam & necessariam dicimus.*

III. In essen-
do.

Pradicãdo.

Afficiendo.

Significãdo.

7. Tertio necessarium aliquid dicitur vel in essendo quod in essentia est invariabile, *ut Deus:* Vel in prædicando, quod de alio necessario prædicatur, *ut animal ratione hominis, homo respectu Petri:* quanquam quidam per necessarium in prædicando intelligant propositionem necessariam, sive affirmativa sit, *ut: Omne corpus est materiatum;* sive negativa, *ut: Nullus homo est lapis:* Vel in afficiendo, quod mutabiliter convenit suo subjecto, & à Logicis proprium à Metaphysicis etiam essentiali consequens vocatur, *ut risibilitas respectu hominis, hinnitus ratione equi, latratus ratione canis:* Vel in significando, quod infallibiliter aliquid potentiae cognoscenti repræsentat, *ut fumus:*

Vel

Vel in operando, quod non potest non operari, ad quod necessarium in causando, quod nihil aliud est, quam causa necessaria, referri debet.

8. Quarto Necessarium aliquid dicitur vel in sese, quod in se non potest se aliter habere, & coincidit cum necessario in essendo, vel alteri, quo sensu linguarum Orient alium cognitio futuro Theologo necessaria esse dicitur: Et hoc rursus necessarium est vel ad esse, ut victus homini; vel ad bene esse, ut virtus & eruditio.

IV. In se
vel alteri.

9. Quinto Necessarium aliquid dicitur vel ratione presentia, ut Charitas Christiano, cum fides salvifica per charitatem efficax sit, ut Apostolus Galat. 5, 6. testatur; Vel ratione finis obtinendi: Et hoc rursus vel simpliciter, necessitate inevitabilitatis ac indigentia absolutae, quomodo fides dicitur esse necessaria homini ad salutem obtinendam, quia absq. fide Deo placere & salutem consequi est impossibile, ut Doctores Theologi docent: Vel secundum quid & necessitate expedientiae, ut equus ad iter instituendum.

V. Ratione
presentia
vel finis.

10. Sexto Necessarium aliquid dicitur vel ratione causae; Sic risibilitas homini propter animam, quantitas ob materiam infalibiliter convenit: Vel ratione coactionis & violentiae externae quo sensu fures in patibulo necessario mori & mercatores merces in mare necessario & coacte projicere dicuntur: Vel ratione ordinationis & praeccepti; Sic necessarium est homini, ut honeste vivat, suum cuiq. tribuat, neminem ledat &c. quia lex naturae hoc dicitur, ut ipsis etiam gentilibus constitit: Vel obligationis & promissi; quo sensu necesse est Christianos Diaboli operibus valedicere & divina praeccepta observare, quia ad hoc in Baptismo sese obligarunt: Vel denique ratione finis obtinendi, de quo paulo ante dictum fuit.

VI. Ratione
causae.

Ordinatio-
nis.

Obligatio-
nis.

Finis.

11. Septimo Necessarium in constitutum & consecutum distingui solet. Illud vocatur, quod essentiam alicuius rei ingreditur & eam intrinsecè constituit, ut materia & forma, genus & differentia. Sic anima rationalis & corpus organicum, item rationalitas & animal sunt necessaria constitutiva hominis. Hoc

VII. Consti-
tutum vel
Consecuti-
vum.

est nihil aliud, quam proprium; quod vel in adæquatum est, ut quantitas respectu hominis; vel adæquatum, ut risibilitas eiusdem ratione.

Necessariū
essendo de-
finitur.

12. Hoc loco verò principaliter intelligimus necessarium in essendo, quo sensu Ens in necessarium & contingens distingui solet. Illudque ex *Δ. Meth. cap. 6.* hunc in modum defini- mus: *Ens necessarium est, quod se aliter habere nequit.* Ipsa verò necessitas est affectio Entis, secundum quam se aliquid aliter habere non potest, ut *Deus, Intelligentia, quantitas, risibilitas.* Quanquam enim Deus est causa voluntaria & liberrima, omnia, prout voluit efficiens, dirigens & administrans: idem tamen ab omni æternitate in omnem æternitatem existit, ad- eoque Ens necessarium est, quamvis agens liberum rectè vo- cari possit.

Distingui-
tur.
1.

13. Distingui solet à Doctoribus duplici modo. Nam pri- mò necessarium aliquid dicitur, vel necessitate absoluta, vel necessitate hypothetica, seu conditionali.

Necessitas
absoluta.

14. Absolutè necessarium vocatur, quod non hypothesein quandā præsuppositā habet, sed in se & sua natura se aliter ha- bere nequit: vel ob independentem & purissimam naturam, ut *Deus*: vel ob essentialis spiritualitatem, ut *Intelligentiæ & animæ rationales, quæ semel existentes, posito influxu divino, nunquam inter- eunt, sed immortales sunt, ut alibi docetur*: Vel denique ob causam antegressam, quo sensu risibilitas, in homine, quantitas in corpore, calor in igne, humiditas in aqua necessariò existit, ut nul- lo modo naturali aliquid horum à suo subjecto abesse possit: id quod in omnibus propriis locum invenit. Atque hanc necessitatem, quæ consistit in immutabili causæ & effectus connexionem Physicam communiter salutare consueverunt. Sic ergò omnia illa, quæ alicui subjecto vel ob materiam vel formam, si res sit com- posita, vel aliàs ob essentialis, si simplex res sit, conveniunt, absolutè & necessitate Physica necessaria esse dicuntur.

Ad quam
pertinet
Physica.

Hypotheti-
ca.

15. Conditionatè vel hypotheticè necessarium vocatur, quod habet causam mutabilem, adeoque in se est contingens, non tamen variat ob certam quandam hypothesein vel condi- tionem

tionem positam. Sic scandala dicuntur esse & fieri necessario, nempe ob hominum perversitatem, Diaboli malitiam, & similia fundamenta, quæ alibi exponi solent.

16. Deinde verò necessarium in Independens & dependens à Dd. distinguitur. Necessarium independens est quod ex se & à se invariabiliter existit, ut solus Deus. Hic enim nec ab intra corrumpi potest ob summè spiritualement, purissimam & simplicissimam essentiam, nec ab extra; cum nec æquale admittat, nec potius aut valentius ens ullum dari possit: Cætera verò omnia, uti à Deo creata sunt, ita eiusdem potentia subiecta manent.

1. Independens

17. Necessarium dependens est, quod præsupposito cursu divino necessario existit, de quo §. 14. videri potest.

Dependens

18. Atque hæc sunt primariae distinctiones Necessarii & necessitatis, quæ hinc inde apud Doctores occurrere solent: Nunc de opposito eius, contingente scilicet & contingentia agendum est.

Necessario
opponitur
contingens

19. Eius formalis ratio est variabilitas, secundum quam aliquid se aliter habere potest. Oppositorum enim opposita est definitio, ut Philosophus, lib. 6. Topic. cap. 8. observat.

Formalis
ratio

20. Distingui autem & ipsa solet contingentia in complexam, quæ orationibus convenit; & incomplexam, quæ terminis simplicibus tribuitur.

Distinguitur

21. Contingens complexum est nihil aliud, quàm oratio contingenter vera, quæ sub se syllogismos contingentes seu Topicos, & propositiones probabiles continet. Sic propositiones contingentes sunt: Aristoteles est Philosophus, Aristides est justus, homo loquitur, animal movetur &c.

Contingens
complexum

22. Contingens incomplexum suas rursus subdivisiones admittit: 1. Nam primò contingens aliquid dicitur vel in essendo, quod in se & sua natura est variabile, ob causam contingentem antegressam, & est huius loci; sic opera humana & omnia, quæ fortuito aut casu fiunt, entia contingentia vocantur: Vel in prædicando, quod contingenter de subiecto prædicatur, & coincidit cum accidente prædicabili, quod Porphyrius in Isag. c. 8.

Incomplexum
rursus dividitur
in essendo.

Prædicatio

hoc

Afficiendo.

Significan-
do.

Operando.

II. Contingens ratione subjecti vel cause.

Contingens in essendo definitur.

Distinguitur

I.

II.

III.

hoc modo definit: *Accidens est, quod adest & abest sine subjecto interitu, quo sensu eruditio & virtus de homine contingenter predicantur; quanquam alii per contingens in predicando ipsam propositionem probabilem intelligant: Vel in afficiendo, quod mutabiliter subjecto convenit; Sic albedo accidit parieti, calor aqua, nigredo homini: Vel in significando, quod non infallibiliter potentiae cognoscenti aliquid repraesentat, de quo usitati versiculi valent: Clara dies Pauli &c: Vel denique in operando quod non operatur necessitate naturae, atque hoc si voluntate & intellectu praeditum sit, agens liberum vocari solet, ut Deus, Intelligentia, Homo & Anima rationalis.*

23. Deinde verò contingens aliquid dicitur, vel ratione subjecti, quod non semper & necessario subjecto convenit, & coincidit cum contingente in afficiendo: Vel ratione causae, quod habet causam contingentem. Sic v. g. *Eclipsis Solis est contingens ratione subjecti; Accidit enim Soli & non semper eidem convenit; est tamen necessaria & non contingens ratione causae, quae posita non potest non Soli convenire.*

24. Hoc verò loco directe, ut antea meminimus, de contingente in essendo nobis dicendum est, quod definimus Ens, quod se aliter habere potest, adeoque non existit invariabiliter: Ipsa autem contingentia est affectio entis, juxta quam aliquid se aliter habere potest.

25. Distinctiones eius occurrunt sequentes. Primò enim variantur ratione causae, cum quaedam sint à causa libera quae dicitur contingentiā contingentiā intrinsecā, quae est in ipso agente, ut quae à Deo, Intelligentiis & hominibus fiunt: alia verò à causis aliis proveniant, ut quae casu fiunt, & vocantur contingentiā contingentiā extrinsecā.

26. Deinde ratione temporis contingens est vel praesens, quod jam existit; vel praeteritum quod fuit; vel futurum, quod nec est nec fuit, sed aliquando esse poterit.

27. Tertiò contingens, aliud rarò, aliud ut plurimum: item vel secundum, vel praeter vel contra naturam fieri dicitur, quae omnia ex ipsis terminis facile innotescunt.

MEM.

Membrum Secundum.

EXHIBENS AXIOMATA!

I. *Omne quod est, quando est, necesse est esse.*

Est tritum axioma, & dubio carere non videtur. Nam si omnia necessariò existunt, nullus contingentiae relinquatur locus, quod tamen ἀτοπον est, ut membro tertio dicturi sumus. Sed salva res est. Distinguiamus ex dictis inter necessitatem absolutam, & hypotheticam seu conditionalem: qua distinctione præmissâ dicimus: *Omne quod est, quando est, necesse est esse*; Si non necessitate absolutâ, saltem hypothetica & conditionali, cum impossibile sit, idem simul & esse & non esse, ut Philosophorum princeps, *lib. γ. Meth. cap. δ.* docet. Posito ergò quòd res existat, non potest eo tempore non existere, sed necessariò existit. Sic Petrum moveri in se contingens est, inq; eius potestate situm, posito tamen, quòd de ambulet in museo, eundem moveri est necesse.

II. *Quod fit ordine naturæ, non contingenter fit, sed necessariò.*

Intellige necessitatem non fatalem & stoicam, sed Phisicam, quæ tamen à Deo tolli & inhiberi potest. Sic necessariò Sol movetur & ignis urit: Istos tamen actus à Deo impeditos fuisse, ex Sacris literis manifestum est.

III. *Contingentia & necessitas ex causis rerum proximis, non remotis æstimanda est.*

IV. *Contingentium nulla datur scientia.*

Ita ex *lib. I. post. anal. cap. 5. & cap. 16.* Doctores docent, & rursus dubium esse videtur. Nam 1. si contingentium nulla datur scientia, cur in *Metaphysica* de contingenti agitur. Ea enim est scientia, ut expressè habet Aristoteles, quando *lib. γ. Met. c. α.* ait: *Est quædam sapientia, quæ speculatur ens prout ens est, & quæ ei per se insunt.* 2. Eclipsium datur scientia, & tamen accidunt stellis, cum non semper iisdem conveniant. 3. Deus omniscius est, omniaque sunt aperta oculis eius. Utiq; ergò

B

etiam

etiam contingentium scientiam, eamque exactissimam habebit. Verum enim vero quanquam hæc primo intuitu axioma datum, & à Doctoribus hæctenus approbatum, impugnare videntur, expugnare tamen nunquam poterunt. Nam 1. distinguimus inter contingentia in actu signato, & exercito spectata. 2. Inter contingentia ratione subjecti, & causæ antegressæ. 3. Inter scientiam Dei, & creaturæ. Hisce præmissis completius sensum axiomatis hunc exprimimus:

Contingentium ratione causæ in actu exercito spectatorum nulla datur scientia in re creata: Seu:

Quod habet causam contingentem, eius, antequam fiat, nulla creatura ex se & sua natura exactam scientiã habere potest.

V. Futurorum contingentium non potest haberi determinata veritas.

Vicinus est hic canon proximè antecedenti, & desumitur ex lib. de interpret. cap. i. debetque intelligi de rebus creatis, quibus accurata scientia de futuris contingentibus non convenit, nisi aliunde reveletur, quanquam conjecturalis quædam, fallaxque notitia de iisdem ex quibusdam signis à Diabolo & homine haberi queat.

VI. Libertate posita non tollitur honesta disciplina, legumque custodia.

Rationem desideras? Ea est manifesta. Nam illa necessitas tantum excluditur per libertatem, cui ipsa libertas est opposita. Nunc autem hæc non opponitur necessitati obligationis & ordinationis, sed naturæ & coactionis violentæ: utiq; ergò hæ, non illæ per eandem excluduntur.

VII. Entia ex hypothese necessaria sunt revera contingentia.

Intellige quæ tantum ex hypothese necessaria sunt, non verò simul ob causam antegressam.

VIII. Nihil est necessarium, nisi finis, aut quæ propter finem.

Ita subtilissimus Scaliger. Exerc. 254. ait: Intelligendum autem de eo, quod alteri necessarium esse dicitur.

IX. Contingens & necessarium integris distinguuntur essentiis.

Ita

132

Ita idem *Exerc. 39.* docet. Intelligi autem debet de contingente & necessario in essendo. Nam diverso respectu unum idemque & necessarium & contingens dici potest, quomodo supra monuimus, quod Deus Ter Opt. Max. necessario existat, & tamen liberrima omnium rerum causa sit.

Membrum Tertium.

PROPONENS CONTROVERSIAS.

Quæritur I.

An omnia fatali necessitate fiant, ut stoici & quidam Calviniani docuerunt, an verò aliqua contingentia adhuc in rebus reliqua sit?

Resp. Prius negando: Posterius autem affirmando 1. *ex actibus divinis.* Uti enim Deus omnia, quæ voluit fecit, ita adhuc hodiè, ut liberrimus spiritus, operatur. 2. *ex actionibus humanis.* Nam cuique per propriam constare potest experientiam, quod in sua potestate situm sit loqui, ambulare, matrimonium inire, & alios actus externos humanam conversationem concernentes, sive omittere sive exercere. 3. *ex absurdis consequentibus.* Nam si omnia fatali & inevitabili necessitate fierent, omnes institutiones, adhortationes, dehortationes, legumque formationes frustra instituerentur, quod absurdum esse ex libris Nicom. Aristotelis abunde constat. Imò si contingentiam & libertatem ex rebus prorsus tollamus, Deus ipse omnium peccatorum causa erit, quod blasphemum est. Quæ enim necessario fiunt, ex dispositione causæ primæ, quæ est Deus, fiunt, ut præter alios eruditè Rev. & Clar. noster L. Scharffius in *Meth. Exempl.* observavit. 4. *ex eventu.* Multa enim fortuito & casu eveniunt, ut Aristoteles *lib. 2. Phys. cap. 5. & 6.* docet, quæ fatali necessitate fieri, non nisi insipiens statuerit.

Quæritur II.

An inter ens necessarium & contingens detur medium?

B a

Resp.

Resp. Ita quidam disputarunt, & Impossible exempli loco produxerunt. Ineptè! Nam i. hi termini rationes formales contradictorias habent, nempe posse se aliter habere, & non posse se aliter habere. Contradictoria autem nullum prorsus medium admittunt, ut summus Philosophorum *lib. 10. Meth. cap. 8.* docet. 2. Impossible non est ens, sed non-ens. Nos autem quærimus, an ens aliquod detur, quod nec necessarii, nec contingentis titulo gaudeat. Manet ergò, quòd inter ens necessarium & contingens nullum prorsus detur medium.

Quæritur III.

An solus Deus sit ens necessarium?

Resp. Quamvis verum sit, omnia à Deo esse creata liberè & ab eo, si vellet, annihilare posse, hoc tamen tantum probat, quòd res creatæ in collatione ad Deum contingentes sint. Interim si res creatas secum invicem conferamus, sanè maximam disparitatem reperiemus. Quædam enim habent causas proximas contingentes, ut quæ liberè ab homine, aut aliàs fortunâ vel casû fiunt: aliæ verò habent causas proximas necessarias, quibus positæ non possunt non existere. Sicuti ergò illas res contingentes: Ita has necessarias rectè vocaverimus, quanquam tantam necessitatem non habeant, quanta ipsius Dei est, qui ab omni æternitate in omnem æternitatem existit.

Quæritur IV.

An præscientia tollat rerum contingentiam?

Resp. Neg. Ratio, quia 1. præscientia non est causa rerum. Non enim ideò res fiunt, quia ab alio præscitæ sunt, sed potius, quia futuræ sunt, ab alio præsciri possunt. Sic v. g. morbi non accidunt homini ob præscientiam Medici, quam ex signis quibusdam habere potest: sed potius quia morbi futuri sunt, & eorum prodromi per signa sese manifestant, Medicus ex iisdem futuri morbi notitiam habere potest. 2. Aliàs Deus ipse non amplius agens

agens liberum maneret, cum non tantum creaturarum, sed etiam proprios actus, antequam evenerint, præsciverit.

Quæritur V.

An necessitatis formalis ratio consistat in immutabili causa & effectus connexionem?

Resp. Neg. Non enim hæc connexio omnienti necessario convenit, cum Deus sit Ens necessarium in essendo, nec tamen ullam causam agnoscat, sed ab omni æternitate existat. Sic & Intelligentiæ, nec non animæ rationales immortales, adeoque necessariae sunt in essendo, quæ nunquam, concursu divino posito, corrumpi possunt, nec tamen habent causam necessariam, sed ob spirituales suam naturam omnem essentiali corruptionem respuunt.

Quæritur VI.

Quodnam sit fundamentum Necessitatis & Contingentiæ in propositionibus?

Resp. Necessitas propositionum affirmantium in invariabili terminorum convenientia; negativarum in totali eorundem repugnantia fundatur: Contrà verò contingentiæ variabilem terminorum convenientiam in affirmantibus, & disconvenientiam in negantibus pro fundamento habet. Sic v. g. hæc propositio: *Homo est animal: est necessario vera, quia prædicatum ita convenit subjecto, ut non possit non convenire.* Contrà hæc: *Aristoteles fuit Philosophus: Contingenter vera est, quia & alia ars Aristoteli absq; omni prorsus repugnantia convenire potuisset.*

Quæritur VII.

An necessitas Physica, quam supra diximus in immutabili causa & effectus connexionem consistere, impediri vel etiam prorsus tolli possit?

Resp. Disting; inter cursum Naturæ ordinariæ, & actionem Dei supernaturalem & extraordinariam. Sanè natu-

921
Niter causa naturalis non potest non talem producere effectum,
ad quem naturâ ordinata est; sicuti Sol non potest non moveri;
ignis non potest non calefacere: utrumque tamen divinitus a-
liquando impeditum fuisse, ex Jos. 10, 13. Dan. 9, 94. unicuique
nostrum constat. Qui enim Author & Director omnis naturæ
non posset vim naturalem inhibere, cum ab eo & esse & agen-
di virtutem acceperit? Vid. Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Martini
in Exerc. Meth. lib. 5. Theor. 6. pag. m. 196.

Quæritur VIII.

*An necessitas finis referenda sit ad necessitatem absolutam,
an verò ad necessitatem hypotheticam.*

Resp. Doctores hic diversas fovent opiniones. Nos salvâ
omnium Authoritate illorum subscribimus sententiæ, qui eam
ad necessitatem hypotheticam referunt. Nam quod ad finem
obtinendum est necessarium, potest in se esse contingens, &
habere causam mutabilem. Sic v. g. virtus est res contingens
in potestate hominis posita, ut Aristoteles lib. 3. Nic. cap. 3. dispu-
tat; & tamen est necessaria necessitate inevitabilitatis ad finem,
nempe summum bonum, consequendum.

Quæritur IX.

An causa libera etiam actu operans sit libera?

Resp. Libera dici potest in sensu diviso, in quantum
in eo ipso instanti intelligitur habere potestatem, ut agere &
non agere possit: non verò in sensu composito, quasi jam actu
operans, & agere, & non agere impossibile sit, ut Philosophus
lib. 7. Meth. cap. 8. monet.

Quæritur X.

An res jam existentes etiam contingentes dici possint?

Resp. Si à causa mutabili dependant, sunt & manent
in se contingentes, quamvis necessitas hypothetica, qua con-
tingentiam tamen non tollit, ex axioma primo illis rectè
tribuatur.

Tantum!

SOLI DEO GLORIA!



Ornatissimo Dn. Respondenti

Quid sit CONTINGENS, quæ dura catena NECESSE,
Doctè inter doctos quæris, A MICÆ, viros.
Ergo suum natum te VIRTUS dicit, amatq;
Laurum Musarum candida turba parant.

Gratul. Imq; apposuit

PRÆSES.



Optatum studiis qui vult imponere finem,
Multa ferat, vigiliq;e insumat corpore noctes,
Doctorum terat ille libros, non dulcia luxu.
Otia sectetur: blande sapientia somno.
Non venit, curasq;e graves multosq;e labores
Diligit. Hæc secum reputans RÜLINGIUS altè
Insequitur constans operam & fervore, laboris
Urget opus, meditat, & hinc meditata frequenter
Ruminat atque Sophûm solers monumenta volutat.
Huic quid sperandum cœpto si tramite pergat?
Laus, honor, atque decus multa & præconia famæ.

*Commensali & amico suo charissimo
animo gratulante apponebat*

Elias Breunere
Leor. S.l.

In



IN Nato surgit virtus rediviva parentis,
Sub leges Judum quem fera mors rapuit.
Ingenio clarus dum publica pulpita scandit
Ingenii vires exerit atque sui.
Contingens quid sit quidque invariabile factu
Præsides sub Claro differit ore gravi.
O bene quam factum! Merito gratantur amici
Unanimesque vovent prospera quæque Tibi.
Maeste bonis animi, pergas hic tramite cepto
Currere Musarum, hinc præmia larga feres.
Præmia largâ feres, patriæ charusque Deoque
Ac patriæ quondam commoda multa dabis.

*δι' ὄχρου. Ἐννοίας καὶ Φιλίας ἐνεκα gratula-
bundo animo deproperabat sympatrio-
ta Ἐ amico suo colendo*

Johannes Georgius Döllius,
Dresdensis.



IN studiis PATREM sequitur qui NATUS, honorum
In studiis PATRIS digna brabea feret!
In studiis sequeris quia PATREM, NATE RÜLINGI,
In studiis PATRIS digna brabea feras
precor


Georg. Schramm / Gryph.
Sil. SS. Theol. Studios.

05 A 1085

ULB Halle

3


003 765 350



V317








Disputatio Metaphysica
De
NECESSARIO
ET CONTINGENTE,

Quam
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
In florentissima & Celeberrima Academia
Wittebergensi,

PRÆSIDE,
Dn. M. MARTINO CASELIO,
Sereniss. Elect. Saxon. Alumno, & Ampliss. Fa-
cultatis Philosophicæ Adjuncto, Præceptore & Fautore suo
plurimum honorando,

Publicæ dissertationi subjicit
SAMUEL RÜLINGIUS, Dresdensis,
Elect. Saxon. Alumnus,

In Auditorio Minori, ad diem 13. Aprilis
hor. à 7. Matut.



WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

Anno MDCXXXVI.